23

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

TYMPANITE

DEO AVSPICE
CONSENSV GRATIOSI
MEDICORVM ORDINIS
IN ACADEMIA ERNESTINA
PRAESIDE

D. IO. HERM. FÜRSTENAU

MEDICINAE PRIMARIO ET ORDINARIO
OECONOMIAE PROFESSORE
ORDINIS MEDICI SENIORE
ET H. T. DECANO

PRO LICENTIA

IMPETRANDI SVMMOS IN ARTE SALVTARI
HONORES

D. XXII. IVN. CIƆ IƆCC XXXIII.
PVBLICO SENATVS ACADEMICI EXAMINI
SVBIECTA
A

TOBIA FRIDERICO GERMIN

MEDICO PRACTICO LVNEBVRGENSI.

RINTELII TYPIS IO. GODOFR. ENAX, A. T.

VIRIS

MAGNIFICIS, GENEROSIS, CONSVLTISSIMIS,
NOBILISSIMIS, ATQVE AMPLISSIMIS,
DOCTISSIMIS IVXTA AC PRVDENTISSIMIS,

DOMINIS,

DN. CONSILIARIO REGIO AC
PROTO-CONSVLI.
DN. CONSVLIBVS.
DN. SYNDICIS.
DN. PHYSICIS.
DN. SENATORIBVS

INCLYTAE CIVITATIS LVNEBVRGENSIS

GENERE, FAMA,
VIRTVTE, QVAM MAXIME FLORENTIBVS,

MAECENATIBVS,

PATRONIS ET FAVTORIBVS SVIS

SVMMOPERE
VENERANDIS, SVSPICIENDIS, COLENDIS
INGENII SVI PRIMITIAS
SVMMA ANIMI OBSERVANTIA
DICAT OFFERTQVE
CLIENS IPSORVM CVLTORQVE SVBIECTISSIMVS

TOBIAS FRIDERICH GERMIN.

VIRI
MAGNIFICI, GENEROSI, CONSVLTISSIMI, NOBILISSIMI, DOCTISSIMIQVE
MAECENATES PATRONI AC FAVTORES
OMNI HONORIS CVLTV PROSEQVENDI

Opinionibus mundum regi & communi dicitur adagione, & experientia, teſte ἀναντιλέκτῳ comprobatur. Plebem quidem ab omni doctrina alienam opinionum ſolido veritatis fundamento haud ſuffultarum turbine agitari non adeo mirum cuiquam videatur: at Viros ſtudiis literarum multisque inſtructos ſcientiis rapido hocce opinionum torrente una ſaepiuscule abripi, eſt dolendum. Verum enim vero non deſunt quovis aevo emunctioris naſi viri, quibusque

De meliore luto finxit praecordia Titan,
qui validi cujusdam aggeris inſtar huic ſeſe torrenti opponunt, eumque intra alveum ſuum coërcent. Neſcio ſane, Viri Magnifici, Generoſi Conſultiſſimi &c. an in ejusmodi opinionum cenſum vulgaris quoque haec referenda ſit ſententia, qua putant virum, qui ſalutiferam aegrotis manum adhibere velit, Doctoris titulo ab Academiis arceſſito inſignitum eſſe debere. Cui ſententiae quantum ſit tribuendum, ſagaciores facile pervident, qui artem non vanis metiendam eſſe nominibus, ſed titulis tum demum ſuum conſtare pretium norunt, quando ars ipſis ac doctrina reſpondet. Quisquis ſaltim perpendit, omni aetate, longeque diutius ante, quam principum favor certos quosdam viris eruditione conſpicuis honorum decerneret titulos, extitiſſe nomina omnigenae ſcientiae laudibus celebrata, quid ponderis iſta trahat opinio, non poteſt non agnoſcere. Nihilo ſecius cum dandum aliquid temporibus, cedendumque multitudini eſſe, prudentiae ſuadeant praecepta; ego quoque adductus ſum, ut ſolenni more ſummos in arte medica honores peterem. Quos conſecutus ſpero fore, ut ſiniſtra rudiorum hominum judicia, aliorumve malevorum iniquae refraenentur linguae. Cum vero ſpecimen quoddam publicum mihi legitimo ritu edendum, idque typis evulgandam fuerit, iſthoc, qualecunque eſt, veſtro Maecenates venerandi, Patrocinio commendandum benevolaeque cenſurae ſubjiciendum ſtatui. Urbi veſtrae vitam, Vobis Ipſis perquam multum debeo, qui me Praxi Medicae aliquot annis vacantem placide foviſtis, aliaque in me contuliſtis beneficia non exigua. Publicas igitur Vobis jam

per-

perſolvo gratias, cumque mibi nibil praeter vota ſuppetat, Deum O. M. imploro ſupplex, ut Vobis omnibus porro adeſſe, conſiliaque Veſtra proſperis ſucceſſibus ſecundare velit, quo civitatis Veſtrae ſplendor ſalusque indies magis magisque eniteſcat ac ſtabiliatur. Faxit propitium Numen, ut Vos omni exparte beatos, quam diutiſſime venerari veſtraque ſub tutela adquieſcere mibi liceat

VESTRORVM NOMINVM

VIRI

MAGNIFICI, GENEROSI,

CONSVLTISSIMI NOBILISSIMI

DOCTISSIMI AC PRVDENTISSIMI,

CLIENTI ET CVLTORI SVBIECTISSIMO

TOBIAE FRIDERICO GERMIN.

Q. D. B. V.

§. I.

Priusquam rei ipſi operoſas manus admovemus, nomina, quibus morbus, quem ventilandum propoſuimus, appellari ſolet, quanta licet brevitate, perquirenda ſunt.

§. II.

Communiſſima ac antiquiſſima nomina nobis Græcia, ſcientiarum omnium quondam altrix, reliquit, ubi appellabatur: τυμπανίας ſive τυμπανίτης, ſed Hippocrates ſect. 4. aph. 2. ſpeciatim quoque per ὕδρωπα ξηρὸν hydropem ſiccum enunciat. Priora vocabula Latium civitate donavit, hinc dicitur Tympanias, Timpania, Timpanites & Timpanitis, inſuper etiam a recentioribus nominatur Hydrops flatulentus; deſumta appellatione Tympanitis a ſimilitudine clangoris, qui in abdomine inflato crebro au-

auditur,ad inſtar inſtrumenti bellici,quo noſtris moribus equites convocantur, quorſum & vernacula nobis Saxoniæ inferioris lingua denominatione ſua reſpexiſſe videtur, dicens die Bungen-Sucht, tractum a vetuſtiſſimo vocabulo, quo tympanum appellarunt eine Bunge; & ſane uti mihi quidem videtur ſonum hujus inſtrumenti appoſite ſatis exprimente; dicitur pariter: die Trommel-Sucht. Superioris vero Saxoniæ incolæ rem acu rectius tetigiſſe videntur, dum morbum hunc appellant: die Wind-Sucht, eſſentiam eo exprimentes.

§. III.

Licet tamen cortici inhærere, nudis nempe vocabulis,relicto nucleo, puta re ipſa, Criticorum curæ lubentes relinquamus, nihilo minus ſilentio præterire minime potuimus, Plinium Nat. hiſtor. lib 9. cap. 35. annotaſſe Timpania, ubi quidam legunt Tympana,appellari margaritas, quæ conchis adhæſere, audiamus ipſum his verbis: *Craſſeſcunt etiam in ſenecta,conchisque adhæreſcunt, nec iis avelli queunt, niſi lima,quibus una tantum eſt facies,& ab ea rotunditas, averſis planities ob id tympania nominatur;* ne conturbatus nominum uſus,monente Galeno rerum ipſarum cognitionem conturbet.

§. IV.

Luſtratis ergo nominibus morbo noſtro conſuetis, merito ad realem ejus definitionem accingimur, quam mutuatis a Celſo lib. 3. cap. 21. verbis, dicimus, quod Tympanites ſit: *Tumor ventris vehemen-*

menter intenti, cum crebro intus ex motu ſpiritus (ſeu flatuum) *ſono.*

§. V.

Adnumeratur communiter adfectus hicce noſter ſpeciebus hydropis a veteribus pariter (uti jam monitum ex Hippocrate) ac recentioribus, illorum veſtigiis preſſo pede inſiſtentibus. Seducti omnes a ſubjecto generali, quod uterque morbus occupat, nempe ventre juxta Anatomicos nominato infimo; non nulli tamen experientia convicti longe alienum ab hydrope morbum agnovere, quos inter jure meritoque B. Chriſt. Joh. Langius & Georg. Ern. Stahlius cumprimis extollendi veniunt. Et profecto ſi huic Bigæ virorum de arte medica præclare meritorum album calculum & nos adjicimus, ut in veritatem injurios quenquam nos redargutúrum, diffidimus.

§. VI.

Minime etiam quaelibet flatulentia undecunque orta pro tympanite venditanda, quemadmodum nobis feciſſe videtur Ruland. cent. III. 62. & 84. in filia annorum II. & in puero 13 annorum; rurſus cent. X. 36. in virgine 16 annorum, lumbricis vexata; forte an, ut purgantibus ſuis in ſat magna doſi datis univerſalium titulum tanto certius conciliaret, quæ tamen minime indiſcrete ſtatim ab initio, & illotis, quod ajunt, manibus ſunt propinanda, niſi malum pejus aut plane immedicabile reddere volueris.

§. VII.

§. VII.

Similiter longe diſtat ab Aſthmate, aut Orthopnoea, & id genus aliis reſpirationem difficilem reddentibus, licet ſpiritus illis aliquadantenus cum difficultate ferri videatur, nam non aeque pectoris anguſtiam conqueruntur, ſed inferius paulo circa ventriculum; es ſey ihnen ſo voll üm den Magen, wenn ſolches nur weg wäre, wolten ſie ihrer Meinung nach ſchon wieder eſſen; tympaniti quoque ſupinati bene decumbunt ſecus ac Aſthmatici, item orthopnoea aut dyſpnoea laborantes. Ut vero haec exactius intelligi queant, ad rem profecto erit, ipſam morbi hiſtoriam, priusquam ad cauſas deſcendimus, praelibare.

§. VIII.

Certe non ſimul & ſemel uno quaſi impetu adfectus hic plane tragicus irruit, ſed lento greſſu prorepit, donec vires ſufficientes collegit, ubi in horas incrementa capit, ut quaſi advolaſſe videatur. Igitur longe ante ſtatum morbi de doloribus circa umbilicum, & maxime in regione lumbari ſiniſtra conqueruntur; ſitis ſollicitat frequens, ructus ac borborygmi comitantur, alvus hinc inde conſtipata, parce per inferius guttur flatus deſcendunt, appetitus dejectus, & ſenſus obſtaculi cujusdam circa ventriculum, ſed ſine gravitate, reſpirationem nihilominus liberam impedire aegrotis videtur, venterque ſemper intentus; ad ἀκμὴν tamen devoluto morbo cuncta ſymptomata in pejus ruunt; appetitus nimirum plane nullus cum conatu eructandi, licet irrito

aut raro ſucceſſu, & ſi quid cibi ultro aſſumtum, facile vomitu redditur, ſitis fit intenſior, alvus conſtipatur firmior, venter vero magis magisque intentus murmurat ac rugit; pulſus adeſt longus, durus creber ac tenſus, nec imbecillus, ſudor nullus imo nec mador ullus corpore calente, noctes inſomnes trahuntur, urina ſpiſſa turbida rubens ſedimentum viſcidum demittit, ſpiritus difficilius ferri videtur, torſiones ac dolores umbilicales ac lumbares augentur & exaſperantur, nec niſi ſupino decubitu ſentit levamen aeger, in neutrum latus cubare, neque erectus ſedere valens, tantum vero abeſt, ut reliquae partes extenuentur, ut potius flatus in habitum totius corporis abiiſſe putares, denn ſie ſehen einiger maſſen gedunſen aus / exceptis pedibus qui & minus caloris habent ad ſenſum; niſi jam conclamatum ſit, tunc enim utique reliquum corpus tot myriadibus cruciatuum attritum, extenuatur, ſolusque venter in immenſam molem attollitur, ut quidam admota candela accenſa transparentem obſervaſſe affirmarint.

§. IX.

Conſpecta ſic morbi facie ad cauſas illum producentes accedimus; Quarum immediatam ſeu proximam, conſtituunt ipſi flatus abdomen adeo tumidum reddentes.

§. X.

Antecedens vero, ſeu mediata, noſtro conceptu eſt pituita viſcida tenacius inteſtinorum canali inhærens, ac non plane acoris expers, tunicas ad periſtalſin

ſtalſin ſollicitans, unde non poteſt non ſpasmodici quid accidere, ut periſtalſis conturbetur, aut plane invertatur, quod haud dubie alvus occluſa, appetitusque proſtratus indicant; quare minime mirum ſi flatus exitu præcluſo in cavum abdominis denique penetrent, illudque eo magis extendant.

§. XI.

Non deſunt exempla demonſtrantia, tympanitem nulli pepercisse ætati, maxime errore diætæ conſpirante, frequentius tamen in cenſum venere, qui ultra conſiſtentem jam progreſſus fecere, cum calor aliquadantenus exſpiravit, nec adeſt amplius neceſſarius vigor. Mulieres quoque crebrius hac labe inficiuntur præ maribus, ultro nimirum pronæ ad colligendam pituitæ abundantiam.

§. XII.

Eandem fortunæ aleam ſubeunt temperamenta, attamen melancholicum prærogativa gaudet, abundans recrementis terreſtribus lentis, ob motum humorum tardiorem.

§. XIII.

Aër ſuum ſymbolum ſæpe confert, frigidiusculus & incautius admiſſus, præcipue abdomine non ſufficienter munito, aut corpore in diaphoreſi conſtituto, illa vero per frigus intercepta, vapores exhalantes a peripheria ad centrum retropulſi condenſantur & fiunt moleſti, quod notabili exemplo illuſtrat Rodericus a Fonſeca conſultat. tom. II. 45.

§. XIV.

Similiter & cibus aut copioſe nimium ingurgi-

tatus, aut qualitate dyſpeptus ac pravi ſucci, necnon tempore incongruo, videlicet noctu cum cubitum eas, aſſumtus ſæpiſſime anſam præbuit. Potus ſimiliter & parum defoecatus, & ſic ad ſubeundam effervescentiam vappidam aptus, aut nimium infuſus, tonum ventriculi & inteſtinorum mole deſtruens, aut jejuno & vacuo ſtomacho affatim hauſtus auxiliares manus malo huic, ubi maxima pars facile in flatus inteſtina torquentes, elevatur, porrexit. Notabile exemplum de Cardinali Noriſio apud Baglivium, opuſc. p. 67. occurrit.

§. XV.

Somnus diutius protractus ſpiritus reddit torpidos, & corpus ſegne, & quia effluvia cohibet, nec diſcuti permittit, magna cruditatum pituitoſarum copia in corpore accumulatur. Contra vigiliæ protractæ & lucubrationes intentæ nimium abſumunt ſpiritus, qui alior ſum nimis impenſi, œconomiam neceſſaria temperie defraudant. Sic motus & quies mediocritatis terminos tranſcendentes idem malum producere ſolent.

§. XVI.

Nimium profuſa itidem excernenda læſionem inferunt non levem, quare ex Diarrhœa modum excedente haud ſemel progerminavit, aut jam factus adfectus noſter nimia catharſi exaſperatus, nec culpæ expertes hæmorrhagiæ nimiæ, aut ſudores largi. Retentis non ſolum adnumerandi ſcybala inteſtinorum, ſed & menſes, lochia, ſudores neceſſarii improvide cohibiti, unde ordinarie, terminos menſtruationis

tionis transgreſſæ hoc morbo demum infeſtantur mulieres.

§. XVII.

Subjungimus animi adfectus moderamen excedentes, qui mirum quantum univerſum microcoſmũ alterant, inter quos anteſignanus ira furor ille brevis, mater morborum foecundiſſima, dum bilem movet, ſpiritus & ſanguinem inordinate ventilat, turbas ingentes excitat, ſerum acrius exaltat, & cum impetu propellit.

§. XVIII.

Praeter naturam laeſionem feciſſe inveniuntur diverſa ab autoribus conſignata, quemadmodum ova frixa ex aceto integra ab auriga deglutita apud Chriſt. Joh. Lang oper. Tom. II. p. 295. item M. N. C. Dec. 2. Ann. 1. obſ. 81. veſicularum generatio in inteſtinis, ſuberit tamen dubium: productum ne fuerit an cauſa tympanitis? & M. N. C. Dec. 1. Ann. 2. Ulcus ani fiſtuloſum alvum ſupprimens tandemque ex diuturna foecum collectione tympanitem cauſans.

§. XIX.

Medicamenta draſtica ſub excretis & retentis jam tacta, addimus ergo ſaltim; ova formicarum aſſumta ob nimiam flatuum generationem tympanitis cauſam adminiſtrare poſſe largiſſimam.

§. XX.

Diagnoſtica ſigna in hiſtoria abunde ſatis recenſuimus, cramben ergo recoquere diſplicet, interim

ex-

experientia ſuffulti, concurrentibus reliquis, decubitum ſupinum cum levamine, ut ſignum pathognomonicum tympanitis cum Langio l. c. dilaudare non erit ſupervacaneum, minime vero cum veritate aſſerere poſſumus, ventrem digito pulſatum tympani ſonum edere, a levi enim tactu non auditur, a quo tamen aegroto nihilominus dolores augentur, quare pulſationem fortiorem non feret, niſi jam in agone ſit conſtitutus, indeque ſenſatio jamjam ſufflaminata, id quod & Celſo nobiſcum optime notum fuiſſe ex §. IV. allegatis clare colligere eſt.

§. XXI.

Nihil prius nihil poſterius mortales in curis ac votis habent, quam rerum dubiarum praenoſcere eventum, anxie vero hoc optare gravi morbo detentos, noto notius eſt. Quamobrem illos hac vice prognoſci deſtituere nefas plane ducendum eſſet: Dubii exitus eſſe gravem hunc atque chronicum morbum, praxis omni tempore affirmavit, & veriſſimum eſt, quod Celſ. l. c. ait. *Facilius in ſervis quam in liberis tollitur, quia cum deſideret famem, ſitim, mille alia taedia, longamque patientiam, promptius his ſuccuritur, qui facile coguntur, quam quibus inutilis libertas eſt. Sed ne hi quidem, qui ſub alio ſunt, ſi ex tota ſibi temperare non poſſunt, ad ſalutem perducuntur.* Subjungitq; elegans intemperantiae exemplum illius, qui licet diligentia non Medici tantummodo, ſed etiam Regis Antigoni cuſtodiretur, tum malagmata ſua devorando, bibendoque ſuam urinam in

exi-

exitium ſe praecipitavit. Bono tamen animo ſunto, cum inter initia non difficillima curatio ſit, in tempore qui veniunt, quod omnium rerum eſt primum. Praeſertim ſi ſitis non adeo intenſe affligit, nec alvus adeo longiſſime ac firmiſſime conſtipata fuit, nec venter nimium tenſus; ſecus vero habet, ſi morbus jam diu duravit, ſi alii gravi morbo videlicet colicae flatulentae crebrae, aut ictero, aut aſciti ſupervenit, deſtructa enim jam eſſe viſcera, praeſumtio eſt; ſi poſt alvum apertam neque tumor ventris neque dolores remittant. Stranguriam quoque combinatam Blankardus malum pronuntiat; ſi menſtrua aut haemorrhoides diu retardatae iterum fluunt, aut, quod adhuc pejus, cum praeter naturam de novo prorumpunt, nec minus, ſi lac inſolite in mammis colligitur. Quale exemplum vid. apud Lentil. Miſcel. med. pract. P. I. p. m. 234. b.

§. XXII.

Dum igitur ſpes aliqua affulget ſalutis, officii noſtri erit indicare, qua methodo quam facillime id conſequi liceat. Flatus ergo moleſtiam creantes (1.) ſui expulſionem nobis indicant, qui non melius quam per alvum, ſed minime violenter, ſunt ejiciendi (2.) ulteriorem eorum proventum antevertendum aut facilem egeſtionem procurandam, ſymptomata enim, ſuccisa radice, ſeu cauſis eorum deletis, prompte corruunt.

§. XXIII.

§. XXIII.

Luſtremus inde artis noſtrae ſalutaris triplices fontes, quidnam ſolatii praeſtituri ſint; & primum quidem chirurgicum: ubi ſtatim ſe offert Venaeſectio, heroicum ſane ſuo tempore remedium, quae tamen minime gentium noſtro malo quicquam ſalutare promittit, multo magis diſſuadenda ut noxia eſt, interim non plane exſecranda, ſi prudens conſilium Medici praeſentis ad diſſipandos & ſopiendos dolores atrociſſimos eam in pedibus celebrandam e re ſua fore confidat, ſed iterum moneo, ut quantum fieri poteſt, circumſpecte agat, ne majores, quam antea fuere, turbas excitet.

§. XXIV.

Scarificatio locum hic minime habet, cucurbitulae vero ſiccae magnae cum multa flamma umbilico applicatae, incantamenti inſtar, flatus diſcutere dictitat Galenus, cavendum tamen ne nimis ſero applicentur, nec ſolae, non reſerata prius alvo.

§. XXV.

Attamen faſciis plus auxilii praeſtamus tum ſolis, ad conſtringendos muſculos ventris, ut fibrae firmatae melius ſe contrahere & robur ſuum exſerere queant, ſubſtratis praeſertim ad firmandum fomentis calidis, ſiccis.

§. XXVI.

Paracenteſin quidem proponit Langius l. c. ſed non video, quare, quod dicit, cum hoc remedio properandum, cum in initio facilius per pharmaca reſerabi-

rabitur, in fine vero ob diſcrimen, mortem eo accelerandi, cum vix aut plane non averti poſſit, ne flatus qua data porta confertim ruant, videtur remedium anceps nimis. Reliquae chirurgiae huc non quadrant, ad pharmaciam ergo pedem proferimus.

§. XXVII.

Ubi ſe offerunt primo purgantia, tanquam univerſalia, quae tamen non illico ex uſu ſunt, ſed potius maxime fatalia, procedamus ergo per mitiora ad fortiora, & ſic exordimur a ſuppoſitoriis, ut ſenſim irritetur ani ſphincter, ac officii ſui admoneatur, officinalia ſufficiunt. Si quis vero experta in praxi deſiderat, promat ex Scholiaſte obſervationum Pauli Spindleri ad obſerv. LIII. p. m. 98. ex farina, ⊖le, ſtercore murino, cum felle bovino formata. Succedant Enemata intimius pertingentia concinnata ex Emollientibus, carminativis, purgantibus & pro acriori Stimulo ⊖le admixto: formulam deſideras, eſto talis ℞ HB. Malv.
Alth. ana mij.
Atriplicis mj
Fol. Senn.
Conſerv. gratiol. ana ℥j
⊖ Gemmae ℥ß
Sem. carvi ℥i

C.C. g. m f. ſpecies zum Cliſtier mit 2 Pfund Waſſer zu kochen, und auf zweymahlen nebſt 2 Löffel voll Leinöhl jedesmahl zu gebrauchen.

quod repetitum effectus praeſtabit laudandos, tanto magis ſi ſimul interne aſſumatur digerens carminativa, ac tonico ſpasmodico laxans potiuncula. Aperta his auxiliis alvo, conſulto purgantia exhibentur, cavendum tamen ne ex illis ſint, quae catharſi finita adſtringunt, quali & aloe & rhabarbarum macula laborant; Forma exhibendi perinde eſſet, ſed melius operatur pillularis aliqualem in ventriculo moram neceſſariam nectens. Plinius lib. 25. cap. 5. Tympanicis helleborum commendat, nec ſpernenda colocynth. Scammon. Gum gutt. Jalapp. &c. cum ⊖ibus aperitiv. ut Tart. vitriolat Arcan. dupl. &c. uti & camminativ. maritata. Formula ſit ſequens:

℞ Extr. pil. cochiar.
mastichin. ana gr vij
Colocynth. gr j
Reſin. Jalapp.
Gum. gutt. ana gr. iij
⊙ fulmin. gr ij
Ol. st. macis gtt. j

F. c. Tinct. ♁ii pil. no. x, inaur. D. S. Pillen auf einmahl.

quae & acui poſſunt & repeti debent interponenda tamen, nunc carminativa, ſtomachica balſamica, diaphoretica, quae facile ex autoribus peti poſſunt. Sed ne & hic formula deficiat, en praeſentem:

℞ Eſſ.

℞ Eſſ. Helen.
Trifol. fibrin.
Carminat. Wed. an. ℥jß
TR. Tart. ℥j
Liquor. CC. Succin.
TR. Caſtor. an. ℈j.

M. D. S. Zertheilende Wind-Eſſence zu 50 Tropffen alle halbe Stunde.

Si ab hujus uſu flatus excernuntur, ſudorque promanat, res omnis in vado eſt, nec quicquam reſtat, quam continuatio medicaminum alternativa, ne recidiva contumacior ſuccedat, quibus addi poſſunt fomenta calida domeſtica ex avena & ſimilibus cum ſale communi toſto, aut pro ditioribus ex HB. carminativ. nervinis, cephalicis, aromaticis, balſamicis cum ſale communi toſto mixtis, cui lubet, adhibeat fomentationem Hartmanni Prax. chymiatr. tit. Tympanitis p. m. 238. ex urina pueri cum lapid. prunel. coct. ſed ante recluſam alvum vix ſuaſerim, cum humida cutim laxent, & ulteriori diſtenſioni abdominis occaſionem praebeant.

§. XXVIII.

Symptomata, ſublata cauſa, per ſe concidunt, ſi vero ſitis adhuc affligit, non ſine fructu ſpiritus ſulphuris cum potu exhibendus, uti fecit olim in cantore Friſingenſi tympanitico Oswald Grembs arbor. integr. & ruinos. Hominum lib. 2, cap. I, §. 6, num. 69.

69. p. m. 121. fallere eandem quoque liceret ad mentem Blankardi catechu ppt c. vel S. M. & A. niſi hoc ſtipticitas, illud elaſticitas moſchi ſuſpecta redderent haec medicamenta; ſatius erit non usque quoque ex monito Celſi appetitui indulgere.

§. XXIX.

Specifice Tympaniti mederi tapſum barbatum ſ. verbascum, autores ſunt Hartmannus ac Grembſius, alter liquorem laudat, num florum num herbae? alter vero herbam in ſubſtantia; uterque doſi ℈j. Sed dubium manet, ſi quid unquam praeſtitit hoc medicamen, num ipſi, an vehiculo, nempe decoctioni ſem. & rad. foenic. in acceptis ferendum ſit. Indicaſſe hic ſufficiat pro indagine ulteriori, cui libuerit. Ingenue fatemur nos de hoc ſpecifico nihil certi affirmare poſſe; attamen ☉ fulmin. quod Wed. in amoenit. M. M. aliique commendant veritatis ſuffragium addere poſſumus, ſuccedaneum quoque ejus adhibuimus, ⊕ videlicet fulminans in egenis aegrotantibus, ſed tanta, quanta illud, efficacia non operatur.

§. XXX.

Diaeta reſtat excutienda, eaque facile eſt obſervanda ab aegrotis faſtidientibus, ſitis vero tanto conſtantius perferenda erit. Convaleſcentes iterum frugalius ordine ac modo vivere monemus, fugienda, quae inflant, &, quae inflationem levant, aſſumenda

menda ſunt, quorum amborum ſelectum recenſet Celſus lib. 2. cap. 26. inſuperque commendamus ſalis moderatum uſum, ne pituita tam prompte rurſus ſuccreſcat, ſed alvus aperta ſervetur. Reliqua huc ſpectantia ex cauſis facile applicari poſſunt.

Tantum!

Sit. S. S. Trinitati Laus & Gloria ſempiterna.

Corollaria.

I. *Mali originem Philoſophia ignorat.*

II. *Non poſtremum ad convincendos Atheos argumentum Philoſophiae Naturalis, & Artis Salutaris fundamenta ſuggerunt.*

III.

III. *Quamvis non contemnenda ſit eorum conjectura, qui Thomae Browne Medici Religionem primitus ita typis exſcriptam fuiſſe contendunt, ut tria verba priora autorem, poſtremum libri argumentum denotet, ſicut in Miſcell. phyſ. med. mat. 1728. Jun. p. 1153. videre eſt; nihil tamen ſingulare prae illa continet, qua Medici, non Medicorum religionem, eodem tradi libro, affirmatur.*

IV. *Scorbuti exiſtentia ut neganda non eſt, ita non tanta ejus eſt frequentia, qualis vulgo creditur, multo minus*

pro

pro cauſa univerſali omnium morborum idem haberi debet.

V. *Xenodochia quae in uſum leproſorum magnis paſſim ſumptibus condita, & largis proventibus inſtructa ſunt, cur hodie leproſis plerumque vacua reperiantur? problema eſto.*

VI. *Vectigal lotio a Flavio Veſpaſiano impoſitum non tam ipſi liquori obſcoeno, quam integris cadis urina plenis, & locis publicis in uſum artis fulloniae expoſitis adſcriptum fuiſſe, non ſine ſpecie adſeritur.*

VII. *Medicamenta non faciunt ad conſervandam ſanitatem.*

VIII. Τὸ *nil admirari, eſt finis philoſophiae.*

IX.

IX. *Recens natorum pulmones aquae vel innatantes, vel fundum ejus petentes pro infanticidis vel convincendis vel abſolvendis haud ſufficiens praebent argumentum.*

X. *Bis mortuorum, quod certis documentis conſtet, nulla, ſemi mortuorum & ad vitam revocatorum plura extant exempla.*

XI. *Scire noſtrum, reminiſci.*

XII. *Linguarum peregrinarum in rudioribus, & qui illas non ſunt edocti, exactior notitia non phantaſiae ludibriis, ſed altiori & ſupernaturali principio in acceptis eſt ferenda.*